videantur idoneæ, divina tamen virtute in illum excreſcere modum poſſunt, ut virgis ſceptrisque regum, rectis pariter ad juſtitiam & in ultionem validis, belli ducum ſcipionibus triumphalibus, & centurionum vitibus, quinimo publicæ ſalutis telamonibus & columnis materiam præbeant. Tales vobis exhibeo, Principes Sereniſſimi, in iſtis pagellis deſcriptas vites, in quarum una, quæ lætiſſima ſoli, in quo ſuccrevit, ubertate, ramorum amplitudine, ad omnia munia aptitudine & fructuum fæcunditate mirifica nulli alii concedit, Vos quoque, ex quo primum è pleniſſimis bonæ ſpei gemmis erupiſtis, in palmites decoros atque robuſtos, qui non pampinarii ſolum ſed & fructuarii evadant, adoleſcitis. Non ergo celſis nominibus, quæ præfigantur, hoc argumentum, quod illa unice tractat, indignum eſſe exiſtimo; nec id alienum videri poteſt, quod Veſtra (nulla enim ex his eſt vitis, quin aliorum ramos frequentibus complectatur claviculis, ut ita veſtræ dici queant omnes, in quarum una eſtis.) Vobis, Auguſtæ ſtirpis digniſſimæ propagines, offero. Verum adhuc aliæ inſcriptionis non deſunt rationes: Nam Clementiſſimus ille affectus, quo Sereniſſimus Pater veſter, Princeps & Dominus etiam meus